

eiusdem ordinis præmitti debeat : tum quia alias ratio congruentiæ non adesset pro necessitate fidei supernaturalis ad placendum Deo contra Script. et Concilia ; cum etiam hic per cognitionem aut fidem naturalem posset quis moveri ad amandum Deum. Quoad 2<sup>am</sup>. *prob. C. Ass. sed N. Supp.*, quod inde supernaturalitatem piæ affectionis deducamus, aut hoc argumento utamur. Non enim arguimus sic : Cognitio prævia est supernaturalis ; ergo et pia affectio : sed e converso : Pia affectio est supernaturalis ; ergo et cognitio practica, tanquam prævia dispositio ultima proportionata.

190. *Nec dicas 2<sup>o</sup>.* Sive dicatur pia affectio sequi necessario ad iudicium practicum, sive non, potest colligi iudicium hoc non esse supernaturale : nam in primo casu, quia nec pia affectio, nec fides essent liberæ ac meritorie, consequenter nec supernaturales, frustra omnino requireretur supernaturalitas iudicii prævii : in secundo autem, sequeretur voluntatem posse negligere suasionem iudicii prælucentis ; unde, et ex supposita iudicii supernaturalitate, proflueret hoc absurdum, quod homo simul haberet actum supernaturalem, et simul esset infidelis. *Conf.* Rursus pro hoc iudicio statuendus esset habitus supernaturalis ; qui tamen vel assignari non potest, vel pro libitu assignatus auget numerum supernaturalium sine necessitate.

R. N. *Ass.* Permissa utraque probatione, nego in secundo casu evenire majus absurdum, quam ex eo quod quis illustrationem ac motionem supernam, quam habet, non sequatur, aut intelligens obligationem servandi præcepta, ea nihilominus violet.

*Ad Conf. R.* Assignari imprimis a nobis pro habitu specialem prudentiam infusam, dictantem debitum et obligationem credendi : hanc verò ab habitu prudentiæ generalis infuso distinguimus ; tum quia hic est directivus virtutum moralium fidem sequentium, illa autem per se saltem fidei habitum præcedit : tum quia prudentia generalis superna amittitur pereunte charitate, ad cuius comitatum æque ac virtutes morales, pertinet ; specialis autem non nisi cum fidei habitu, desinere videtur ex data proxime ratione. Deinde vero non multiplicari habitus sine necessitate, probat diversitas objecti formalis et modi tendendi, quæ non sinit hoc iudicium practicum reducere ad habitum fidei, ut Thomistæ contendunt.

## CAPUT II.

## DE NATURA ACTUS FIDEI.

## ARTICULUS I.

## AN ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS NECESSARIO SIT VERUS ?

191. *Nota.* Naturæ nomine solet hic intelligi tum ipsa rei essentia, tum proprietates. De Essentia fidei, h. e. de objecto materiali, formali et modo tendendi proprio dictum hactenus ; proprietates eiusdem sunt libertas, honestas, supernaturalitas et meritum : magis autem controversæ sunt veritas, certitudo et obscuritas ; et de his agendum. *Falsitas* fidei haberi potest vel ex objecto materiali non ita se habente, ut creditur, vel ex objecto formali non existente, propter quod creditur. Unde hic duplex quæstio proponitur : 1<sup>a</sup>. An res a Deo revelata, etsi per se sit contingens, sit infallibiliter vera, absoluta infallibilitate, ex hypothesi divinæ revelationis ? 2<sup>a</sup>. An ad actum fidei supernaturalis sufficiat revelatio apparens tantum et existimata ? Prior porro dependet a gemino hoc quæsito : An Deus non tantum nunquam falsum revelaverit, aut mentitus sit, sed et falsum revelare aut mentiri de potentia, ut vocant, absoluta nequeat ; posterior autem circa duos casus versatur, quibus revelatio reipsa non facta, existimari tamen ac apparere potest tanquam facta : alter nempe est, si objectum in se falsum vel impossibile, v. g. quod tota Trinitas sit incarnata, per errorem putatur esse revelatum a Deo : alter, si objectum quidem in se sit verum, non tamen a Deo revelatum, et nihilominus per errorem revelatum esse iudicetur.

192. *Dico I.* Deus falsum nunquam revelavit, nec absolute revelare potest : adeoque sicut objectum a Deo revelatum infallibiliter verum est, sic etiam fidei divinæ actus necessario est verus ex parte objecti materialis.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Quamvis respectu creaturarum diversa et separabilia sint, dicere physice falsum, dicere moraliter falsum, ac formaliter mentiri ; hæc tamen in Deo sunt realiter idem, nec a se invicem separantur, quia 1<sup>o</sup>. quidem Deus necessario et infallibiliter scit esse falsum, quod physice falsum est ; adeoque illud dicens etiam scienter falsum diceret : 2<sup>o</sup>. autem, quia Deus infallibiliter scit obligationem ortam ex dictamine suæ sapientiæ, quod nempe sibi loquendum non sit contra veracitatem ac mentem suam, ne reddat se fide indignum ; adeoque dicens physice ac scienter falsum, mentiretur formaliter. Atqui Deum nunquam esse mentitum, Scriptura testatur Num. 23. 19. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet ? Locutus est, et non implebit ?* Ad Tit. 1. 2. *Spes vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Ad



Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.* Ad Hebr. 6. 17. et 18. *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum : ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus etc.; ergo.*

*Conf.* Deus nunquam aliquid egit, quod repugnaret alicui perfectioni divinæ; quia, iudice S. AMBR. in Numer. 23. *est impossibile Deo, quod naturæ ejus contrarium est.* Sed si Deus aliquod falsum revelasset, et ad illud credendum propter auctoritatem suam nos obstrinxisset, ut fieri implicite in omnibus a Deo revelatis alibi ostensum est, egisset contra veracitatem et sapientiam suam, ejusque dictamen ac obligationem; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Deus necessario ac essentialiter est infinite sapiens, verax et bonus; tum quia hæ sunt perfectiones simpliciter simplices, necessario convenientes Deo, tanquam enti secundum omnem rationem infinite perfecto: tum quia alioqui non foret Deus, seu ens, quo excogitari non posset melius; cum ens, quod nec falli, nec fallere posset, Deo his perfectionibus destituto præstaret; ergo nec absolute quidem revelare falsum potest. Inde enim illud est dictum Apostoli: *Impossibile est mentiri Deum*; et Aug. L. 22. de Civ. c. 25. *Si volunt invenire quod Omnipotens non potest, habent prorsus; ego dicam, mentiri non potest.*

*Conf.* Si Deus posset revelare falsum, non esset summa fide dignus, neque nos teneremur illi firmissime credere; consequenter corruerent omnia fidei nostræ fundamenta, fides nostra foret inanis, spes incerta, et securitas nulla. Sed Deus ob suas perfectiones simplices summa fide dignissimus est, atque hinc meretur firmissimam a nobis credulitatem; ergo.

*Si ais 1<sup>o</sup>.* Sufficit ad fidem nostræ certitudinem, quod Deus decreverit verum semper loqui.

R. N. Tum quia, ubi Deus dicitur verax, et omnis homo mendax, oppositio veracitatis divinæ et mendacitatis humanæ non habet se unice ratione actus *secundi*, quandoquidem et plures homines mentiti non fuerint; sed ratione potentiæ et actus *primi*: tum quia, admissa in Deo possibilitate revelandi falsum, certus omnino esse nequeo, an Deus hoc suum decretum revelando verum dixerit, nec ne.

*Si ais 2<sup>o</sup>.* Sufficit Deum non tantum dixisse, se habere illud decretum, sed etiam gravi præcepto nos obligare, ut sibi hoc loquenti credamus.

R. N. Tum quia, si Deus falsum loqui potest, vel negata, vel non impediende perfectione divina, eadem aut similis non obstat, quominus ad illud credendum nos etiam obligare possit: tum quia, sicut Deus in opposita sententia dicere potest, se habere decretum, quod reipsa non habet; sic posset etiam dicere, se voluntatem nos obligandi habere, quæ tamen re ipsa illi non adesset: adeoque homo certus minime redderetur, utrum fide ac simulate, an vere ac serio Deus præcipiat. Quæ ratioconatio congruit cum illa S. AUG., qua L. de mendacio c. 8. probat, omnem naturæ ac doctrinæ institutionem destrui, si dicatur, mendacium aliquando esse licitum: *Quomodo, inquit, credendum est ei qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte et tunc mentiatur, cum præcipit, ut credamus. Unde enim sciri potest, utrum et tunc habeat aliquam causam, sicut ipse putat, officiosi mendacii...*

*Quo genere admissio atque approbato, omnis omnino fidei disciplina subvertitur.*

193. *Dico II.* Actus fidei theologice supernaturalis necessario requirit revelationem divinam actu existentem; adeoque est necessario verus etiam ex parte objecti formalis. Ita communissima.

*Prob.* Nec fides proprie talis, nec fides theologica, nec supernaturalis denique haberi potest, ubi Deus reipsa objectum non revelavit, aut non est locutus. *Pars 1<sup>a</sup>.* patet ex natura et motivo fidei; sicut enim vera scientia demonstrationem, ita fides locutionem requirit, tanquam specificativum suum essenziale; ergo, illa reipsa deficiente, fides proprie talis haberi non potest, sed credulitas duntaxat quædam et conatus vel affectus credendi. *Pars 2<sup>a</sup>.* liquet ex supra dictis; quia fides theologica, quæ hoc prædicatum saltem a motivo participare debet, non affirmat unum objectum materiale, sed et ipsam revelationem divinam asserit ac credit; ergo, supposita revelationis absentia, et destituitur prædicato rationem actus theologici conferente, et caret speciali sua tendentia; adeoque non erit theologica. *Pars 3<sup>a</sup>. prob.* Sicut repugnat actus supernaturalis peccaminosus, sic etiam supernaturalis falsus implicat; quia non minus in ordine divino per participationem, ad quem actus entitative supernaturalis ab omnibus refertur, quam in eodem ordine per essentialiam, imperfectio et intellectualis et moralis habere locum nequit; ergo actus fidei supernaturalis revelatione pure existimata nili non potest, cum in casu primo ratione utriusque objecti, in secundo autem saltem ratione objecti formalis actus falsus evaderet.

*Conf. Trid. Sess. 6. c. 9.* loquens de actu fidei circa statum gratiæ inquit: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*: quibus verbis si non decernit, saltem supponit, nec ex parte objecti, nec ex parte motivi falsitatem in actu fidei theologice locum habere; ergo cum falsus esset actus fidei saltem ex parte motivi, qui niteretur revelationi mere existimate, verus fidei actus revelationem divinam actu existentem exigit.

194. *Obj. I. cont. 1<sup>am</sup>.* Teste Scriptura, Deus decipit pseudo-prophetas, Ezech. 14. *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum*: Utilitur spiritibus malis ad decipiendos homines in peccati pœnam, ut docet S. AUG. L. 83. QQ. q. 53. n. 2. et liquet ex L. 3. Reg. 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum*; et 2. ad Thessal. 2. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*: Fefellit, licet bis consultus, Judic. 20., Israelitas, eosque in errorem et cladem iteratam, a Benjamitis acceptam, induxit; ergo Deus videtur mentitus esse, aut revelasse falsum.

R. D. 1<sup>am</sup>. p. *Ant.* Deus decipit pseudo-prophetas negative ac permissive duntaxat C. positive et active, præcipiendo scilicet, infundendo aut intendendo mendacium vel deceptionem N. Sicut in Tr. de Pecc. ex infallibili Scripturarum fide, et naturæ divinæ sanctitate negavimus, Deum esse causam propriam ac per se auctoremque peccati; sic ex iisdem Scripturis ac sapientia veracitateque Deo essentiali negandum, Deum esse causam propriam et auctorem deceptionis vel mendacii. Porro ex dictis ibid. intelligitur



diversus modus, quo Deus se in rebus ejusmodi permittendis habere possit. 2<sup>am</sup>. p. D. similiter. Quod S. AUGUST. attinet, is suum dictum ibidem aperte pluribus pro nostra sententia explicat; ex his pauca ista sufficiant: *Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium ac impium esse quis non intelligat? sed meritorum et personarum justissimus distributor; faciens quaedam per seipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conveniunt, sicuti est illuminare animas et seipsum eis ad perfrendum præbendo sapientes beatasque præstare; alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus promeritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens etc.* Eadem est responsio ad 3<sup>am</sup>. p. quæ etiam simpliciter negari potest. Cum enim neutra ex binis Israelitarum quæstionibus, quibus Deum consuluerant, versaretur de eventu prælii, clades iterato accepta divinæ deceptioni minime adscribi potest. Quod vero spem eorum erronee conceptam permiserit Deus, nec ejus veracitati nec sapientiæ repugnat; quin illius permissionis justissima ratio fuerit, ut nempe peccata idololatriæ ab Israelitis prius commissa, et eorum præfidentia culpabilis, quam cap. cit. versus 22. aperte docet, poenis commeritis plecterentur.

*Inst. 1.* Deus vel per se, vel per Prophetas multa prædixit, promisit aut comminatus est, quæ caruerunt effectu: sic 4. Reg. 20. denuntiatum est Ezechie: *Morieris tu, et non vives.* Genes. 4. Caino timenti, ne occideretur, promisit Deus: *Nequaquam ita fiet.* Jonæ 3. Propheta nomine Dei minatus est: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.*

R. D. A. Deus reipsa et absolute prædixit, promisit, aut comminatus est, quæ caruerunt effectu N. vel reipsa non prædixit, vel conditionate duntaxat C. Exemplum secundum pertinet ad illa, quæ Deus minime prædixit; Caino enim non promiserat simpliciter libertatem a morte violenta, sed solum, quod a quolibet primum obvio et impune non esset occidendus; sic enim textus habet, et quidem timori Caini respondens: *Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Primum et tertium sunt exempla prædictionum conditionatarum; scilicet moriendum Ezechie et Ninivitis esse pereundum, nisi illius precatio humilis et horum seria penitentia intercessura sit. Tacitam autem conditionem hujusmodi tum promissionibus tum minis divinis fuisse sæpius adjunctam, probat et ipsa conditionis expressa mentio in aliis Dei prædictionibus et eventus rerum prædictioni specietenus contrarius, ex quo velut a posteriori innouit, prædictionem non fuisse absolutam et a conditione præcisam; cum ex Scriptura perfectionibusque divinis ejus infallibilitas ac fidelitas manifeste constet; 2. ad Tim. 2. 13. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Regula porro universalis dignoscendi, num promissa aut minæ divinæ sint absolutæ ac universales, an conditione tacita affectæ vel cum quadam exceptione intelligendæ (sæpiuscule enim occurrunt in Scriptura propositiones non nisi in sensu morali universales, ubi, quod parum pro nihilo reputetur, vox *omnis* pro plerisque aut fere omnibus usurpatur) dari non potest; sed disci ac colligi debent vel ex ipsis promissionis aut comminationis verbis aut circumstantiis, vel ex alterius Scripturæ comparatione, vel ex gravi ac evidenti ratione, vel etiam ex traditione aut declaratione Ecclesiæ.

*Inst. 2.* Angeli, Prophetæ, et Viri sancti mentiti sunt. Primum accidit in Raphaele, qui Tobie comitem se offerens, dixit se nomine Azariam magni

Ananiæ filium, unum esse ex filiis Israel, et quidem ex tribu Nephtali. *Secundum* in Michæa, qui 3. Reg. 22. Regem Israel allocutus: *Vade prospere, inquit, et tradet eam, urbem Galaad, in manus Regis.* Item in Elisæo, qui 4. Reg. 8. promisit sanitatem Benadad; quamvis eventus utriusque dicti falsitatem probavit. *Tertium* in Abrahamo et Jacobo, quorum ille Genes. 14. cum iret ad montem, filium immolaturus, et hinc rediturus solus, tamen famulis dixit: *Revertemur ad vos:* hic vero pluribus mendaciis induxit Isaacum, ut sibi benedictionem daret. Sed hæc mendacia ipsi Deo videntur adscribenda, cum ea prolata fuerint ab illis instinctu Spiritus sancti; ergo.

R. Non omnia dicta vel facta quorumlibet etiam Sanctorum et Patriarcharum, quæ in Scripturis narrantur, a mendacio vel peccato saltem materiali excusari, Deoque proin inspiranti adscribi possunt.

*Ad exempl. 1<sup>um</sup>.* Raphael vero sensu dicere poterat se esse Azariam, h. e. *auxilium Dei*; filium Ananiæ, h. e. *obnubilati* seu latentis *Dei*; unum ex filiis Israel, h. e. *videntis Deum*; ex tribu autem *Nephtali* et captivitate *Ninive* Tobiam seque esse dicebat angelus, intelligens locum et terminum, a quo ambo venissent, conformando nempe responsum ad interrogationem Raguelis: *Unde estis?* Tob. 7. 3. Alii addunt: Tobiam juniorem reipsa ex hac tribu descendisse, angelum autem se ex eadem dixisse, non quod reipsa esset, sed Azariam representaret, inde oriundum.

*Ad exempl. 2<sup>um</sup>.* Michæas hæc dixit per ironiam, quæ ex proferendi modo aliisque circumstantiis etiam audienti innouit: unde Scriptura prosequitur: *dixit autem Rex ad eum: iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine Domini.* Elisæus autem recte dixit morbum Benadadi non esse lethalem; adjunxit tamen eum obiturum, nempe ex Hazaelis scelere, unde sic respondit: *Vade, dic ei, sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.*

*Ad exempl. 3<sup>um</sup>.* Abrahamum non esse contra mentem locutum, duplex explicatio probat; vel enim de se duntaxat verba faciens more Hebræorum, et nunc etiam Principum, plurali usus est loco singularis; vel fide cognovit aut certe speravit, Isaacum brevi post immolationem suscitatum iri, ut promissiones de illo factæ implerentur. Jacobum reipsa adeoque non ex inspiratione divina, sed permissione tantum, mentitum esse, multorum Patrum opinio est: a mendacio illum excusat S. AUG. L. cont. mend. c. 10. n. 2. eo quod ipse typus et figura Christi fuerit, atque hinc omnia ipsius facta et verba in illa historia figuratam ac mysticam significationem gerant Christi et Ecclesiæ: S. THOM. autem in scripto secundo ad Hannibald. et in 3<sup>um</sup>. dist. 28. q. un. a. 2. ad 1. ex eo capite eundem a mendacio vindicat, quia id significare intenderit, ad quod Spiritus sanctus verba ordinabat. Jam vero cum Jacobus, secundum revelationem divinam Genes. 25. Rebeckæ factam: *Major serviet minori*, nosset se ordinalum ad benedictionem primogeniti referendam; dicere poterat, se esse primogenitum *representative*, seu secundum jus et Dei dispensationem; fecisse quod sibi, ut hac ratione primogenito, Isaac præceperat ad obtinendam benedictionem: potuit etiam adhortari patrem ad comedendum de venatione sua, sub hac improprie sumpta intelligendo carnem hædinam ad ferinæ imitationem paratam.

*Inst. 3.* Christus ipse et Scriptura sacra videntur multa falsa dixisse, et sibi sæpius contradixisse: Jean. 7. *Non ascendo ad diem festum istum;*